



**Idea vitae Teresiana iconibus symbolicis expressa, in quinque partes divisa : prima figurat sui cognitionem, secunda sui mortificationem, tertia virtutum acquisitionem, quarta mentalem orationem, quinta divinam contemplationem**

<https://hdl.handle.net/1874/31752>

IDEA  
VITÆ TERESIANÆ  
ICONIBVS SYMBOLICIS  
EXPRESSA,

IN QVINQUE PARTES DIVISA.

PRIMA FIGURAT SUI COGNITIONEM,  
SECUNDA SUI MORTIFICATIONEM,  
TERTIA VIRTUTUM ACQUISITIONEM,  
QUARTA MENTALEM ORATIONEM,  
QVINTA DIVINAM CONTEMPLATIONEM.

Dedicata Reverendo Adm, in Christo Patri Observantissimo.


R<sup>DO</sup>. PATRI HUBERTO A S. JOANNE BAPTISTA  
Carmelitarum Discalceatorum per Flandrō-Belgium Provinciali.



ANTVERPIÆ, Exstant Venales, apud Jacolum Mefens.

KUNSTHISTORISCH EN  
DER RIJKSUNIVERSITEIT UTRECHT  
AFDELING IKONOLOGIE

(4)  
Status Naturæ Reparatae.  
Hominis Redemptio.



Tandem venit exoptatum,  
Ab æternâ destinatum  
Tempus providentiâ,  
In quo tantis nos à malis,  
Christi morte liberalis  
Vendicaret gratia.

Homo Deum cum affligit,  
Et ut reum crucifigit,  
Homo tunc redimitur,  
Et amissæ Libertati,  
Gratiæque potestati  
Lapsus restituitur.

Fuit ergo copiosa,  
Et per Christum pretiosa  
Humana redemptio;  
Mansit tamen Lex peccati,  
Et ad malum inclinati  
Hominis dissensio.

## Anima.



Est à Deo hæc creata,  
 Et Adamo inspirata,  
 Per quam capit vivere,  
 Se movere, sentire,  
 Rationi obedire,  
 Et secum discurrere.

Est imago Deitatis,  
 Et divinæ Trinitatis,  
 Quæ Deum cognoscere  
 Alis debet intellectus,  
 Et nativos per affectus  
 Hunc solum diligere.

B 2

Sed cum post Adæ peccatum  
 Jam sit illi magis gravis  
 Delectari sensibus;  
 Sæpè, licet spiritalis,  
 Cæca fit, & animalis  
 In suis affectibus.



## Spiritus.



Numquàm se Virtuti dedit,  
 Qui fidentèr non obedit  
 Ad impulsùm Spiritus,  
 Carnis motus refrænare,  
 Sed & corpus flagellare  
 Quando dicitur cœlitis.

Olim caro serviebat  
 Sinè luctâ, nec audebat  
 Contrâ mentem surgere;  
 Sed post culpam Rationi,  
 Spiritusquè functioni  
 Numquàm se vult subdere.

Ergò caro hæc rebellis,  
 Fame, siti, & flagellis  
 Est domanda fundiùs;  
 Quando nobis ad virtutem,  
 Ad fervorem, ad salutem  
 Calcar ac dicit Spiritus.

## Voluntas.



Fertur homo voluptate ,  
 Cæcâ suâ voluntate ,  
 In objectum obvium ,  
 Sibi bonum uti tale ,  
 Apprehensum , vel reale ,  
 Frequens sed in devium.

Tota paret hic alata ,  
 Ut illius agitata  
 Signetur velocitas ,  
 Nam quæ docet mens amare,  
 Ad hæc facit hanc volare  
 Affectus agilitas.

Sibi currit inæqualis ,  
 Velut cæca , sensualis  
 Extrâ scopum debitum ;  
 Specieque bonitatis ,  
 In profundum cæcitatís  
 Secum trahit Spiritum.

## Potentiæ Animæ inordinatæ.




Intellectus, cælo natus  
 Velût flamma, Rex est datus  
 Cæteris potentijs,  
 Ut illius ad divina,  
 Sicûr avis Aquilina,  
 Convolent notitijs.

Sed pôst lapsum, quia vana  
 Speculatur, & profana,  
 Hunc voluntas sequitur  
 Dùm affectat sensitiva,  
 Quorum & memorativa,  
 Speciebus pascitur.

Homo totus sic fædatur  
 Extrâ Deum & versatur,  
 Sectando carnalia;  
 Sed si sensus custodiret  
 Intûs tanta non sentiret  
 Animæ hostilia.

## Passiones inordinatæ.



Appetitus sensitivus,  
 Nobis inest qui natus,  
 Habet multa capita:  
 Sex ardentè concupiscunt,  
 Irâ quinque invaluiscunt  
 Et hiant ad vetita.

Hæc vocantur Passiones,  
 Quæ frequentèr ut dracones  
 Præ fervore rabiunt;  
 Et dum menti dominantur,  
 Nèc rigore cicurantur,  
 Nèc amore Sapiunt.

Plus mirandum si te totum,  
 Per Circeum velût petum,  
 Transforment in bestiam;  
 Pænâ Deus hæc multavit  
 Sontem Adæ, dum peccavit,  
 Inobedientiam.

## Sensualitas , &amp; Ratio.



Nobis sui notionem,  
 Dùm infudit rationem,  
 Dedit summa Deitas,  
 Për quam velût vitæ ducem,  
 Sequeretur veram lucem  
 Nostra sensualitas.

Sed dùm sicut naturale  
 Illi jam fit, quid carnale,  
 Ut flores appetere;  
 Hinc obfistit rationi,  
 Se nec ejus motioni  
 Umquam vult submittere.

Fortis est, hunc qui frænare  
 Scit Leonem, & domare  
 Spirituali gladiò,  
 Illum decet coronare,  
 Hunc qui nescit formidare;  
 In virtutum Stadiò.



## Cognitio sui ipsius.



Fuit semper hæc Sanctorum,  
 Et est modò, forma morum:  
 semet ipsum noscere;  
 Hanc inquire, si perfectus,  
 Deo Charus, & dilectus  
 Esse vis, & sapere.


Quod es, eris, & fuisti,  
 Quid potes, & potuisti,  
 Nunc facis, vel facies:  
 In hoc Libro declarantur,  
 Et Legendo perlustrantur  
 Oculorum acies.

D

Ergò nihil est necesse,  
 Tibi velis si prodesse,  
 præter hanc notitiam;  
 Hæc ut fax te Serenabit  
 Scire Deum & præstabit,  
 Per ipsius gratiam.



(14)  
 SECUNDA PARS.  
 Praxis Mortificationis.



Quàm formosus sit creatus  
 Primus homo, deformatus  
 Për peccatum postea;  
 Cuncti satis jam viderunt,  
 Ex se-ipsis & noverunt,  
 Non quod fuit antea.

Licet primum tamèn statum  
 Nunc sperare post peccatum  
 Reformato homini,  
 Dum est totus expurgatus,  
 Foris intus renovatus  
 In conspectu Domini,

Ad hoc juvant Sacramenta,  
 Ordinisque Firmamenta,  
 Cum influxu gratiæ;  
 Sed qui portas has intravit,  
 Et banc Scalam inchoavit,  
 Memor sit constantiæ.

## Mortificatio interior.



Qui non est mortificatus  
 Juxta Leges sui status,  
 Nec politus malleo,  
 Cruci sed nec est affixus,  
 Christo clavis & confixus  
 In agone felleo.

Numquam iste se transcendet,  
 Nec ad Deum hinc ascendet  
 Illius Oratio;  
 Nam cor mundum, & purgatum,  
 Vult quietum, & pacatum  
 Mentis elevatio.

Hinc Lex prima purgandorum,  
 Contra Legem est membrorum  
 Audacter insurgere;  
 Et hanc menti repugnantem,  
 Vel ad malum incitantem  
 Ferventer subigere.

Mortificatio exterior.



Quod apparet in hâc foris  
Placens in exterioris  
Actionis specie,  
Illud sensus reformatos  
Signat, mores & pergratos  
Vèl èx solâ facie.

Hæc sedata vultus norma,  
Ut claustralis vitæ forma,  
Commendatur plurimum,  
Nâm incultus in externis  
Nûmqûam fructû in internis  
Producet vel minimum,

Sed nec mente quis in cœlô  
Conversatur, quàm qui velô  
Visum occuluerit;  
Contemplatur tunc divina,  
Sicut Moyse, cùm in Sinâ  
Sub nube latuerit.

## Mortificatio propriæ Voluntatis.



Cunctis ex Adamô natis  
 Magna fuit Voluntatis  
 Facta depravatio ;  
 Cujus tamên facultatis ,  
 Et nativæ cæcitatîs  
 Præfens est fanario :

Dùm ut velò, quod inflarum  
 Ventò fertur circumlatum,  
 Ad fuperna ducitur ;  
 Vèl ut flos , ad Solis Lumen  
 Qui fe vertit , Dei numen  
 Fidâ mente fequitur.

E

Pax eft bonæ Voluntatis ,  
 Et largitor fanitatis  
 Chriftus hanc perentibus ,  
 Et ad nutum obedire ,  
 Nòn mandare , fed fervire  
 In claustrò volentibus.

## Mortificatio intellectus.



Hic est Princeps facultatum,  
 Animæque potestatum,  
 Ardens scire omnia;  
 In hunc finem & abstrusa,  
 Speculatur, & confusa  
 Somniorum somnia.

Sed hic ardor moderatur,  
 Dùm per fidem illustratur  
 Clariori lumine;  
 Tunc stat illi ratum, fixum,  
 Solum scire Crucifixum  
 Totò suo nomine.

Ex quò volat ad divina,  
 Velut avis Aquilina,  
 Contemplando mystica;  
 Quia nubes jam erroris,  
 Fructus sumet amoris,  
 Vicit luce cœlicâ.

Mortificatio proprij Iudicij.



Quamvis tua tibi sensa  
Videantur tam perpensa  
Ad normas artificis ;  
Sicut erit circumspecti ,  
Super Iridem evecti  
Gnomon Dei Iudicis ;

Agis tamèn imprudentèr ,  
Si præsumas insolentèr  
Hæc præferre cæteris ;  
Nàm tunc solum non errabis ,  
Quando tua conformabis  
Sensa tibi superis .

Hæc est via Deo grata ,  
Et à Paulò prædicata :  
Altum nolle sapere ;  
Sed timendo , Prælatorum ,  
Vèl censuræ Seniorum  
Sese totum subdere .



## Mortificatio Memoriae.



Dei memor se libentèr  
Hæc explorat, & prudentèr  
Memorata respicit;  
Et ut de Iano narratur,  
Antè, retrò se scrutatur,  
Et ut bifrons aspicit.

Pennâ dein, & Scripturâ  
Sedet librum repletura  
Sanctis imaginibus;  
Nâm profanæ dispelluntur,  
Et terrenæ proferuntur  
Figuris cælestis us.

Probè novit quod vagarum  
Sibi nocet Idearum  
Efformare copiam;  
Nâm oblita Creatoris,  
Passa Dei tunc amoris  
Magnam est inopiam.


## Mortificatio Appetitus sensitivi.



Ut Leonem refranare,  
 Et humana cicurare  
 Valet hunc audacia;  
 Sic & mens hunc appetitum,  
 Brutum, ferum, infrunitum,  
 Domat Dei gratia.

Hinc instantèr est orandus, Appetitum irascentem,  
 Christus Jesus, & precandus, Frænans & concupiscentem  
 Ut pèr sua merita, Christi Crucis Æmuli,  
 Nobis donet passionum, Dùm hos non ad naturalis,  
 Et sædarum motionum, Sed appendant spiritalis,  
 Conculcare capita. Normam perpendiculi.

## Mortificatio Amoris proprii.



Fuge procul inconsulte,  
 Nam te tua non inukè  
 Figura decipiet,  
 Et fallacem per decorem,  
 Tu nempè per amorem,  
 Ad insaustra rapier.

Ut Narcissus malè perit,  
 Qui se solum amans quærit,  
 Velut hic in flumine;  
 Amor enim hic privatus,  
 Venenatus, Sceleratus  
 Est in quòvis homine.

Amor Dei, amor Sanctus,  
 Est illius hostis tantus,  
 Motu necessario, (cit,  
 Quod in quantum hic augetur  
 Tantum ille tunc decrefcit  
 Affectu contrario.

## Odium Sui-ipsius.



Homo Deo gratus  
 Sibi vivit odiosus,  
 Atque detestabilis;  
 Carnem domat hinc flagellis,  
 Nam est semper hæc rebellis,  
 Et menti terribilis.

Odit in se sensitivum,  
 Et à primâ defectivum  
 Appetitum specie;  
 Odit quod inordinatum  
 In se sentit, & non gratum  
 Coràm Dei facie.

Odit suimet amorem,  
 Nullû sanctum qui fervorem,  
 Nèc affectum generat;  
 Sed qui solâ carnis curâ  
 Se delectans, ex naturâ  
 Totus hanc desiderat,

## Fructus Mortificationis.



Est iucundum quid spectare  
 Feram velut agnum stare  
 Ad praecepta Domini ;  
 Sed plus gratum est sentire ,  
 Deformata obedire  
 Reformato homini.

Ramus quercus postquam Sic post carnem iam subactā,  
 Agitatus est sexcentis, (ventis Et membrorum legem factam  
 Uber est in glandibus ; Legi mentis subditam ;  
 Terra quoque in sudore Sui victor lætus donis ,  
 Culta longò cum labore Vitam ducit cœli bonis ,  
 Tandem gaudet fructibus. Et virtute præditam.


## Perseverantia in Mortificatione.



<p><b>Palma</b> pondus ad immensum  <b>N</b>on succumbit, sed appensu  <b>S</b>ursum trahens superat ;      Est dicata hinc Victori,  <b>N</b>ulli cedit qui labori,      Donec palmam referat.</p>	<p><b>Palma</b> crux est, in qua pendet  <b>Q</b>ui hanc amat, nec descendet      Ab hoc ramo gloriae,  <b>S</b>ciens quod sic persistendo,  <b>V</b>iolenter &amp; agendo,      Certus sit victoriae.</p>	<p><b>H</b>ic est status Deo gratus,  <b>E</b>t instantèr commendatus,  <b>D</b>ùm perseverantibus  <b>I</b>llò Christus in agone,  <b>R</b>epromisit jus coronæ      Regnis in cœlestibus.</p>
---	--	---



TERTIA PARS.  
Praxis Virtutum.



Hæc est Scala perfectorum,  
Quam si scandas, vitiorum  
Superatis gradibus,  
De Virtute in Virtutem,  
Gradieris ad salutem  
Magnis inus passil us.

Nõn jam opus figi clavis,  
Dulcis enim, & suavis  
Nexus erit Caritas;  
Sed hanc scalam ascendentis,  
Et ad culmen connitentis  
Basis est humilias.

Regularis quodque vita,  
Et Sanctarum stabilita  
Legum observantia,  
Animarum sunt rectrices,  
Et Virtutum genitrices,  
Stipatæ prudentia.

## Virtus.



Virtus debet præliari,  
 Velut hastâ militari,  
 Æstu & heroicò  
 Contrâ cunctos hostes mentis  
 Qui tunc fortes, uti senus,  
 In bellò domesticò.

Pòst certamen coronatur,  
 Sed coronam, quâ donatur,  
 Offert Dei filio,  
 Cujus signis militavit,  
 Et ad cœlos evolavit,  
 Victrix jam in præliò.

Est præclarus, & beatus  
 Hujus in hâc vitâ status,  
 Qui Virtutum habitus  
 Totò mentis cum vigore,  
 Dei solum ex amore,  
 Acquisivit cœli us.

Charitas.



Hæc suaviss, & divina,  
Cæterarum & Regina  
Est Virtutum Charitas,  
Nam informat generatim  
Omnes, & has singulatim  
Facit benè meritas.

Amat binâ ratione,  
Sed sub unâ ratione  
Et Deum, & proximum;  
Hoc cor signat inflammatum  
Amans Deum, & hunc gnarum  
Propter Deum maximum.

Hæc purgandos à peccatis  
Mundat, & illuminatis  
Dat profectus impetus;  
Sed in viâ unitivâ  
Deo jungit fructivâ  
Unione Spiritus.

## Spes.



Spes te docet Seminare ,  
 Et fidentèr Laborare ,  
 Spondens tibi postea  
 Cæli fructus, quos hinc flendo  
 Et Virtutem excolendo ,  
 Seminabis antea.

Nihil speres temporale ,  
 Vera spes non novit tale ,  
 Mundi Velut accola ,  
 Sed virtutum te ditare  
 Stude lucris, & beare,  
 Ut cælorum incola.

Spes è cælò tibi tota  
 Datur, ut hæc tua vota  
 Deus hic exaudiat ;  
 Hinc quod cupis impetrare ,  
 Hoc securè te sperare ,  
 Decet, ut advenias.

## Fides.



Cæcâ , nãm inevidentèr ,  
Fide , sed indubitantèr ,  
Crede , quod Ecclesia ,  
Et datalem revelatis ,  
Qualem dabat fidem ratis ,  
Septennis Theresia.

Hoc te docet hæc figura ,  
Seù membrânæ ; dùm obscu-  
Tibi multa prædicant , (ra ,  
Sed quæ vivâ fide lecta ,  
Velût face tunc perspecta ,  
Cor tuum clarificans.

Est hæc virtus animosa ,  
Hinc ut Pallas bellicosâ ,  
Est armata casside ;  
Ut sis memor profiteri  
Fidem tuam , & tueri ,  
Contra hostes validè.



## Pœnitentia.



Quem peccatis impetivit,  
Et delictis laceffivit,  
Ex malevolentia,  
Hunc placare per vindictam,  
Spontè sibi hæc infictam,  
Vult ex pœnitentiâ.

Ob offensum sibi Deum  
Se castigans, supplicem eum  
Orat, ut condoleat,  
Et pro suâ bonitate,  
Divinâque charitate,  
Culpas omnes deleat.

Christi divum & cruorem  
Interpellat, & amorem,  
Ut posthac viriliter,  
Tâm à malo declinare,  
Quâm in bono perdurare,  
Possit hinc stabiliter.




## Prudentia,



<p>Notum est ut quid vulgare,          Hunc Serpentem denotare,          Virrucem Prudentiæ,          Mortis schema finem vite,          Tibi dicitur per Sanctitæ,          Decretum Sententiæ.</p>	<p>Hæc te virtus prævidere          Docet, post hæc quæ terrene,          Possunt te finalitèr;          Ut infantia sic à morte          Illic te salves lætâ forte,          Et post æternalitèr.</p>	<p>Est imprudens, &amp; Carnalis,          Qui de bonis, nèc de malis          Sempiternis cogitat,          Hæc perpende totiâ mente,          Hôc prudenti cum serpente,          Qui tær Sana dicitur,</p>
--	---	---

## Silentium.



Tunc fidenter habitabis,  
 Quando fores obserabis,  
 Et te ipsum pessulò,  
 Sic & mentem possidebis,  
 Quando linguam continebis,  
 à Sermone garrulò.

Illam frænò non domantis,  
 Nec os suum obruantis,  
 Non absque mysteriò,  
 Vana fides predicatur,  
 Et ineptus judicatur,  
 Legis ministerio.

Sed qui foris, intus tacer,  
 Intus, foris Deo placet,  
 Deum intus suspicit;  
 Intus, foris cælum videt,  
 Foris, intus mundum ridet,  
 Intus, foris proficit.

## Paupertas.



Alligatus est catenis,  
Opum curis, & terrenis  
Qui sordet affectibus;  
Hinc ad Deum se levare,  
Nec devotò scit tractare  
Corde, de caelestibus.

Sed dùm amat paupertatem,  
Nullam sentit gravitatem  
Totò suò homine,  
Undè mente resupinà  
Velut alis ad divina,  
Faustò volat omine.

Ergò duce paupertate,  
Plei à si sic libertate  
Volare desideres,  
Exercendo corporalem,  
Et amando spiritalem,  
Te suprà te sufferes.

## Humilitas.



Hæc est virtus Christiana,  
 Quam nescivit Tusculana  
 Ciceronis quaestio,  
 Sed nec tota Stoicorum,  
 Nec Peripateticorum  
 Audiit congestio.

Nil hæc ambit in hoc mundo,  
 Nam in sui cordis fundo  
 Vana noscit omnia;  
 Hinc coronas, & honores,  
 Dona Regum, & favores  
 Contemnit ut somnia.

Omnem calcat principatum,  
 Nam demissum amat statum;  
 Cordis verè subditi,  
 Promptè gaudens obedire,  
 Sicut globus, qui præire  
 Solet tactum digiti.

## Obedientia.



Hæc cœlesti notione,  
 Nôn humanâ ratione,  
 Summa diligentia,  
 Jugam Christi, sub personâ  
 Prælatorum, semper pronâ  
 Fert obedientiâ.

Gratum illis inservire,  
 Stans horis obedire  
 Datam juxta regulam;  
 Për hanc mentis cœcitatem,  
 Totam subdens voluntatem,  
 Deo suo famulam.

Nescit secum disputare,  
 Tota nam obtemperare  
 Directori didicit,  
 Omnis expertus est erroris,  
 Sic & qui superioris  
 Se præceptis subijcit.



## Castitas.



Nomen Sanctum Castitatis,  
 Sonat quid suavitatis  
 Illud audientibus;  
 Angelorum nam hæc virtus,  
 Dulce fragat sicut myrtus  
 Illam possidentibus.

Hæc imago Deitatis  
 Numquam datur inclinatis  
 Impuro Cupidini,  
 Sed his, qui hunc conculcâdo,  
 Næc non corpus castigando,  
 Iam non vivunt sanguini.

Tales vident intellectu,  
 Toró cordis & affectu,  
 Amant Sponsum Cantici,  
 Cujus Sempèr in amore  
 Casto gaudent ex ardore  
 Omnes tenus mystici.



## Manfuetudo.



Magnò non est Elephante,  
 à Naturâ proclinante,  
 Brutum manfuetius,  
 Vêl iratum, quod tam pronè,  
 Velût duce ratione,  
 Rursùm fit placatius.

Sic natura belluina,  
 Imò novit & ferina  
 Hominem induere;  
 Ut tu numquàm erubescas,  
 Dùm rogaris, ut mitescas,  
 Vêl brutum exuere.

Mansuetudo coronatur  
 Laurò, quâ condecoratur  
 Illius victoria;  
 Nam hæc in virò morali;  
 Sibi sæpè non æquali,  
 Domat iræ propria,

## Justitia.



Pèr bilancem Æquitatis,  
 Et hunc entem potestatis,  
 Firma fiat justitia;  
 Nàm sic æqua ponderando,  
 Et iniqua resecando,  
 Nil potest malitia.

Caput umbram Deitatis  
 Ferr columbam, quia gratis,  
 Et ex corde maximo,  
 Sibi non, sed cunctis nata,  
 Usum sui coronata  
 Imparatur proximo.

Ejus absque dictaturâ  
 Nulla virtus est futura  
 Bona, recta, sedula,  
 Illa nam est adæquata,  
 Et virtutum conformata,  
 Ad amissimam Regula.

## Gratitudo.



Sicut laurus à naturâ  
 Sempèr viret, sic mansura  
 Donèc laurus fuerit,  
 Ita gratus acceptorum  
 Sempèr memor est donorum  
 Quoad vitam duxerit.

Cignus hero tunc gratatur,  
 Dum in morte modulatur  
 Primum suum canticum,  
 Sic in vitâ gratus sonat,  
 Sed in morte Deum tonat  
 Ergâ se beneficium.

Omni dum potes momentò  
 Deo gratus sis memento,  
 Pro donis præteritis,  
 Et his, quibus nunc potiris,  
 Et quæ posthâc operiris  
 Prò virtutum meritis.

(41)

## Fortitudo.



Fortitudo loricara,  
Et ad bellum sic armata,  
Hastâ, scutò, casside,  
Vult, ut quercus tolerare  
Contrâ ventos; nos pugnare  
Contrâ nos intrepidè.

Intèr ejus functiones  
Princeps est, quòd passionès  
Rebèlles spiritui,  
Illi cogit obedire  
Et virtutum inservire  
Majori profectui.

Novit quoque tolerare,  
Nèc prò fide formidare,  
Tot pœnarum species;  
Quas Tyranni sævientis,  
Contrâ sanctos & furentis  
Adinvenit rabies.

L

## Abnegatio Sui-ipsius.



Velut Leo, sic natura  
Mundi bonis fruitura,  
Ad hæc hians rapitur,  
Et honores concupitos,  
Ut hic Sempèr infrunitos  
Appetitus sequitur.

Sed doctrinam Jesu Christi,  
Quid hæc dicat, audivisti  
Ejus & consilium:  
Quod hos motus abnegare,  
Et te crucem vult portare,  
Ut fert Evangelium.

Hinc affectus ad coronas,  
Ad favores, ad personas  
Te decet compescere,  
Et fovere, qui te crucem,  
Pèr doctrinæ Christi lucem,  
Docent concupiscere.



## Austeritas.



Lauræ mensæ pulpamenta  
 Certa sunt inquinamenta  
 Spiritalis animæ,  
 Nam dum membra faginatur  
 Nostræ mentis aggravatur  
 Sempër vitæ intima.

Undè virtus hæc matura,  
 Incitatur à jam naturâ  
 Abutendi motibus,  
 Gulam potus, & ciborum  
 Frænat, imò licitorum  
 Affectum non usibus.

Panis frustò nam contenti,  
 Quò vix erat indigenti,  
 Satisfactum Stomacho,  
 Servi Dei permanerunt  
 Sempër fortes, & dixerunt  
 Hoc sat esse monacho.



## Magnanimitas.




Contemplare mente piâ  
Lector in analogiâ  
Hic expressi Symboli,  
Cuncta signant potestate n,  
Magnam cordis voluntatem  
Magnæ laudis æmuli.

Ut Regina cum coronâ  
Large fundit sua dona,  
Et Leoni infidet,  
Për quæ nobis indicatur,  
Quod ad magna stimulat,ur,  
Qui cor magnum possidet;

Sola magna tunc prò Deo  
Operatur velût Leo,  
Solis magnis pascitur,  
Nòn ut magnâ consequatur,  
Sed coronam mereatur,  
Hinc & magna patitur.

Patientia.



Intèr fructus charitatis  
Nota Sempèr fuit latè  
Virtus patientiæ,  
Sinè cujus fundamentò,  
Homo caret incrementò  
Virtutum, & gratiæ.

Pati qui scit ut vir fortis,  
Nòn formidat ictum mortis,  
Nèc amara vincula;  
Fractus orbis illabatur,  
Nullis malis perturbatur,  
Durent & pèr sæcula.

Sæpè manet derelictus,  
Inhonorus, & afflictus  
Intèr cætus hominum,  
Sed in cælis honoratur,  
Æquâ mente dùm Sectatur  
Patientem Dominum.

## Temperantia.



Castâ virtus hæc affectat  
 Sensum tactus, cum delectat,  
 Sibi fræno subdere ;  
 Sed & carnis blandimentis,  
 Esculentis, poculentis  
 Modum jubet ponere.

Homo cibos appetendo,  
 Æquò plus & indulgendo  
 Carnis suæ gustibus,  
 Ut jumentum infordeſcit,  
 Totus intus & ardeſcit  
 Impuris affectibus.

Illinc palma soli datur,  
 Qui seipſum moderatur,  
 Et scit plenè vincere,  
 Omnes valens concupitus,  
 Et Carnales appetitus  
 Velut fræno ducere.

## Modestia.



Hoc insigne firmitatis ,  
 Demonstratum complicatis  
 Anchorarum nexibus ,  
 Dedicatur modestorum  
 Oculorum , & membrorum  
 Probatis custodibus.

Suprà spem cor hic quiescit ,  
 Undè cunctis innorescit,  
 Quod stet mens firmissima,  
 Et internæ probitatis ,  
 Ac externæ gravitatis  
 Index sit clarissima,

Habet virtus hæc quid gratū,  
 Nàm cùm illi sit innatum ,  
 Quod sit semper stabilis ,  
 Për aspectum sui sacrum ,  
 Ut formosum simulacrum  
 Cunctis est amabilis.

## Timor, Verecundia, Honestas.



Partes velût integrantes,  
 Temperatum & ornantes  
 Specta sub his Symbolis,  
 Honestatem, seu decorem,  
 Verecundum & timorem,  
 Probæ signum indolis.

Talos habet hic alatos,  
 Quia timet inquinatos  
 Actus indecentiæ;  
 Probra fugit peccatorum,  
 Sicut lepus venatorum  
 Artes fraudulentæ.

Huic adstat hæc aspectum,  
 Verecundum per affectum,  
 Negans turpitudini;  
 Sed honestas speciosa,  
 Deo nè sit odiosa,  
 Vultum velat iumini.



## Dona, &amp; Fructus Spiritus Sancti.



Hic clarescit mens fidelis,  
 Alta luce, sine velis,  
 Per donorum habitus,  
 Quibus jam non rationis,  
 Sed sectatur motiois  
 Ductum Sancti Spiritus.

Modò capit revelata,  
 Tota vivit, illustrata,  
 Ex divinò lumine,  
 Quò divinè comprehendit,  
 Et scribendo se transcendit,  
 Duce sacro flamme.

Ex his donis producuntur  
 Dulces actus, qui dicuntur  
 Fructus Sancti Spiritus,  
 Qui sapore tèr amandò,  
 Totum cor indulcorando,  
 Illud replent funditùs.

N



## Beatitudo.



Ut pacata jam oliva,  
 Regno pacis insitiva,  
 Mens standit superius,  
 Ubi ducar Angelorum,  
 Inchoaram & Sanctorum  
 Vitam nunc interius.

Dum hoc modo quis beatur,  
 Gustus, quibus delectatur,  
 Tanto fructus superant,  
 Ut tunc status viatorum,  
 Et in caelis jam divorum  
 Vix, aut parum differant.

Illum Christus exalcavit,  
 Dum octonam praedicavit  
 Beatorum speciem,  
 Quorum actus via recta  
 Illos ducunt, & perfecta  
 Ad divinam faciem.

## Paupertas Spiritus. I. B.



Sicut suum principatum,  
 Merebatur ob peccatum  
 Primus dæmon perdere,  
 Dum in montem Testamenti,  
 Super astra Firmamenti  
 Præsumebat scandere,

Sic econtra nunc despecto.  
 Non superbo, sed subiecto  
 Paupertate spiritus  
 Licet cælum comparare,  
 Et in terrâ se beare  
 Vitâ datâ cæli us.

Omnes ergo properate  
 Opulenti paupertate,  
 Et contemptu simili,  
 Dei regnum æternale  
 Vobis datum est venale  
 Mente solum humili.

## Miticas. 2. B.



Semp̄r signum Miticaris  
 Fuit Agnus, cūm pacatis  
 Symbolizans cordibus,  
 Ex hōc illi comparari  
 Cupiebat mente pari  
 Christus in moralibus.

Mites autē in eminento  
 Hōc magistrō prādicente,  
 Vivunt beatissimi,  
 Sunt cælorum candidati,  
 Et in terra declarati  
 Hæredes dicitissimi.

Undē semp̄r hīc gaudebunt,  
 Nām cor suūm possidebunt  
 In pace plenissimā,  
 Et in terrā beatorum  
 Cement Regem sæculorum  
 In luce clarissimā.

## Luctus. 3. B.



Si felici velis fieri  
 Jesu Salvatoris tui  
 Post hanc vitam patriam,  
 Hic oportet te plorare,  
 Et frequenter suspirare  
 Ad caelorum atria.

Suffer libens quod gravamen,  
 Dolor, labor, & certamen  
 Mundi te mortificent,  
 Ut transacta tristi via,  
 Te caelorum infinita  
 Fausta post lætificent.

Erit tuus consolator  
 Paraclitus caeli, dator  
 Liberalis munerum;  
 Cujus dono praefens Luctus  
 Sempiternos parit fructus  
 Omnem supra numerum.

## Misericordia. s. B.



Iram Dei vis placare ?  
 Sed & fidem comprobare ?  
 Miserere proximo ;  
 Creas : Legem impievesti ,  
 Si pro Deo subvenisti  
 Egenorum minimo .

Hinc beatos miserentes  
 Dixit Christus , dum egentes  
 In hoc mundo sublevant ,  
 Et paternò cum affectu ,  
 Non tam verbis , quam effectu  
 Artus ejus adjuvant .

Ex hoc ista Deo grata ,  
 Egenorum miserata ,  
 Stipem donat parvulis ;  
 Ejus ut reminiscatur ,  
 Deus , & miseratus  
 In futuris seculis .



## Munditia Cordis. 6. B.



Mundi corde sunt beati,  
 Quia, mundo Jesu grati,  
 Immunda despiciunt,  
 Et gementes ex profundò  
 Mundi sui cordis fundò,  
 Loqui sic incipiunt:

Quid est nobis in hoc mundò,  
 Tot mundanis per jucundò,  
 Dum cælum aspiciamus?  
 Et favore salutari,  
 Mundis corde singulari,  
 Ex nunc Deum cernimus?

Nòn intrabit cor immundum,  
 Intrà sit, vel extrà mundum,  
 Dei sapientia;  
 Nàm divinæ puritati  
 Sola cordis defæcati  
 Placet conscientia.



## Pax. 7. B.



Est oliva speciosa  
 Pacis index gratiosa  
 Pōst partam victoriam ;  
 Dē quā Deo mens gratatur ,  
 Quōd iam victrix mereatur  
 Triumphalem gloriam.

Fregit arcum,ensem,scutum,  
 hastam,bellum,nām actutum  
 Aufugit discordia ;  
 Pax in parte sensitivā,  
 Affectivā , noscitivā,  
 Ubique concordia.

Est Pax plena Beatorum ,  
 Sed pacatis cælorum  
 Pacis sunt finiti mi  
 Undè Christus hos vocavit ,  
 Dùm in monte prædicavit ,  
 Filios Altissimi.

P

## Persecutio. 8. B.



Eccè membra trucidata ,  
 Laniata , mutilata  
 Summâ cum sævitiâ ;  
 Sunt crudelem passâ fortem,  
 Rotas, ignes, eufem, mortem  
 Prò Dei justitiâ.

Hæc est vita nunc justorum ,  
 Sicut fuit & Sanctorum ,  
 In hoc mundo deprimi ,  
 Infamari , contristari ,  
 Vilipendi, cruciari ,  
 Et à multis opprimi.

Sed qui Jesu passionis  
 Est sodalis , & agonis  
 In valle miseriæ ,  
 Pòst à Jesu contolatur ,  
 Et in cælò delectatur ,  
 Contors Jesu gloriæ.

## Præsentia Dei.



Duplex Dei nos videntis,  
 Et nobiscum colloquentis  
 Signatur præsentia;  
 Una præstat, sed secunda  
 Tibi fortè plus fecunda  
 Est experiensia.

Prima fit per intellectum,  
 Per quem mentis ad conspectum  
 Deus præsens sistitur;  
 Sed secunda per figuras,  
 Specierum & staturas,  
 Prædit liber, struitur.

Si nunc tibi vis prodesse,  
 Totus & perfectus esse,  
 Coram Deo ambula;  
 Illum semper te videntem,  
 Intus, foris & præsentem  
 Specta mente sedulâ.

## Amor Dei.



Eccè pandit totum pectus  
 Hic amator pèr affectus  
 Ergà Dei filium,  
 Ut in corde flammis nato,  
 Jesu Christo dedicato,  
 Paret domicilium.

Nàm in centrò cordis sui  
 Solò cupit Jesu trui  
 Ex ardore Spiritus,  
 Sed dùm ardor hic increscit,  
 Corde totus inflammescit,  
 Pèr amoris impetus.

Verus est amator iste,  
 Qui te solum Jesu Christe  
 Ex amore feligit,  
 Et te supèr cœli bona,  
 Sed non proptèr tua dona,  
 Purò corde diligit.

## Pura intentio.



Omnes agunt propter finem, Hæc in purò corde triplex, Sed voluntas ( mente totâ  
 Séd virtuti nûm confinem, Nominatur: Recta, simplex, In amore jâm absorptâ  
 Discernit intentio; Deiformis altera; Sui Finis ultimi )  
 Agunt boni, agunt mali, Recta Deum propter Deum, Deiformi transformatur,  
 Fine sed dum inæquali, Simplex vult unitum eum, Et tota Deificatur,  
 Dispar est contentio. Cû postponit cætera. Vi affectus intimi.



## Directio intentionis.



Hæc est virgo verè prudens ,  
 Quæ virtutum tota Studens  
 Variarum fructibus ,  
 Hos lucratur unò actu ,  
 Nàm intendit unò tractu  
 Plurimarum finibus .

Larus odit , quas detexit ,  
 Dùm supernæ se conspexit  
 His lucernæ radijs ;  
 Hinc jam tota vult sincerè  
 Soli Deo complacere  
 In virtutum Stadijs :

Præter illum nil intendit ,  
 Nèc in mundo quid præten-  
 Dùm agit, aut patitur, (dit,  
 Nisi Deum plùs amare ,  
 Et ubiquè collaudare,  
 Sic ad astra graditur.



*Perseverantia in Virtutibus.*




*Victrix laurus ut frondente  
Semp̄r̄ perstat, & virente  
Comā naturalit̄r;  
Sic ex purō Dei donō  
Perleverat quis in bonō,  
Et obit finalit̄r.*

*Proût virtus p̄r constantes,  
Et disturnum superantes  
Actus hic acquiritur,  
Sed ex Dei voluntate,  
Ejus Solā bonitate,  
Ut donum conceditur,*

*Sanctē plures inceperunt,  
Sanctiores & vixerunt  
in progressu plurimī,  
Sed qui morte post desendā  
Perierunt & horrendā  
In fine miserimī.*

# TYPVS PASSIONVM ANIMÆ



*D. Bernardus super Cant. Serm. 81.  
Age Jam intendamus declarationi huic, ut quò Anima plenius suam  
agnouerat Originem, eò amplius erubescat vitam habere degenerem.*

## QUARTA PARS.

## Oratio Mentalis.



Hoc Secretum , & suave  
 Dei notum est conclave ,  
 Ad quod pulsat anima ,  
 Eccè cordis quò fervore ,  
 Qui se prodit ex Vapore  
 Velut flammâ maximâ ,

Vult hanc portam introire,  
 Hinc se totam præmunire  
 Christi cruce didicit ,  
 Frustrâ sciens hunc pulsare,  
 Qui recusat hanc portare ,  
 Nam hic clavem despicit.

Ergò si quis huc intrare ,  
 Et devotè vult orare  
 In Dei præsentia  
 Curet mentem expurgare,  
 Cruci tempèr & adstare  
 Purâ conscientia.

R.

## Distractio in Oratione.



Fuge procul hinc amica ,  
 Quid hic spectas inimica ,  
 Aves, naves, flumina?  
 Modò tempus est orandi,  
 Et cùm Deò conversandi,  
 Claude tua lumina.

Pietatis quis radice  
 Caret, cùm alternâ vice,  
 Nunc cùm Deò loquitur,  
 Et pôst vagus, uti ventis  
 Extrâ se distractæ mentis,  
 Lubens, volens rapitur.

Sed cùm Deò scit tractare,  
 Piâ mente qui vacare  
 Soli Deo studuit,  
 Et qui totus introversus,  
 Sibi numquàm est diversus,  
 Et seipsum domuit.

## Præsentia Dei in Oratione.



Vis sentire sublevamen ,  
 Dùm inivnum pèr certamen  
 Turbat te mens varia ?  
 Deum noſce tunc præſentem,  
 Vèl efformet aſſiſtentem  
 Vis imaginaria.

Bonum eſt & Jeſum natum ,  
 Vèl in Cruce deſolatam  
 Extrà ſe non quærere ,  
 Sed in ſui cordis fundò  
 Hunc affectu tèr profundò  
 Intrà ſe conſpicere.

Et dùm Chriſtum meditando,  
 Vèl amantèr compellando,  
 Se voluntas explicat ,  
 Solò tunc aspectu vivò,  
 Simplò , ſed non diſcurſivò.  
 Hæc affectum duplicat..



Præparatio.



Numquàm verè quis oravit,  
Mentem qui nõn præparavit  
Remotè, nèc proximè,  
Hinc externa distractiva,  
Et internè turbativa  
Sunt vitanda maximè.

Antè Dei te conspectum  
Sempèr sternas, ut abjectum,  
Ingratum, vilissimum,  
Et indignum propinquare,  
Sivè vultum sublevare  
Ad Deum Altissimum.

Illud, crede, documentum  
Tibi dabit incrementum  
Oranti mentalitèr,  
Si sis velût Publicanus,  
Antè Deum levans manus,  
Quàm potes humilitèr.



## Lectio.



Partus mentis præparatæ,  
 Et à turbis segregatæ,  
 Est attenta lectio,  
 Quam dum orans recitabit,  
 Hanc, ut mandens, ruminabit  
 Sequens recollectio.

Sit hæc Sancta, non sit vana,  
 Ex objecto Christiana,  
 Tota necessaria,  
 Ut à Scopis meditandi  
 Cor non ducat in vagandi  
 Pruritus per varia.

Sit sedata, sit perpenſa,  
 Opportuna, non extenta  
 Ultra tempus debitum,  
 Ut amore disſultante,  
 Et affectum excitante  
 Hæc inflammet spiritum.

## Meditatio.




Meditatur, qui discurrit  
Intellectu, & percurrit  
Dei beneficia,  
Quibus intus moveatur,  
Ut virtutem amplectatur,  
Et declinet vitia.

Sicut flamma suscitatur,  
Ignis folle dum sufflatur,  
Donec totus ardeat,  
Et ut igne flammescente,  
Nullus centet sana mente,  
Quod folle plus egeat,

Voluntatis sic affectus  
Per discursum intellectus,  
Ut folle succenditur,  
Sed dum totus exardescit,  
Quoad utque deservescit,  
Frustra plus discurreat.

## Meditatio Passionis Christi.



Rex æternus Sæculorum,  
 Tamquam in latro, famulorum  
 Jussum comprehenditur;  
 Flagris lacer, atque spinis  
 Coronatus, in divinis  
 Membris Crucifigitur.

Si te Christus non amasset,  
 Putas tanta tolerasset,  
 Aut fudisset sanguinem?  
 Hunc amorem meditare,  
 Eandem tuam contemplare  
 Et iugritudinem;

Illam lava salutaris  
 In amoris Jesu mari  
 Exundante fluctibus,  
 Qui de plagis salientes,  
 Mundant omnes penitentes,  
 A culparum fordibus.

## Meditatio Mortis.



Nòn Perfaram , nèc Medorù  
Sed lex Regis est caelorum,  
Pèr q iam omnes morimur,  
Causa legis est peccatum ,  
Ab Adamò perpetratum  
In quò cuncti nascimur.

Est incerta quidè m hora,  
An pullabit in aurorâ ,  
Vèl ætatis vespere ;  
At est certù , quod ut fulmen  
Nòn formidat Regum eula  
Nèc scit ulli paicere.

Quin nec magnos belli duces  
Armis , & aspectu Truces  
Horret ipsa trucior ;  
Sed hanc spernit , cui Thema  
Semper est hoc mortis sche-  
Nam fit il'ò tutior. (ma,

## Meditatio judicij.



Quandò judex est venturus,  
 Quantus tremor est futurus  
 Ad Ejus præsentiam!  
 Nam è justò Tribunali,  
 Sorte dabit inæquali,  
 Finale sententiam.

Ad clangentis tubæ sonum,  
 Comparebunt antè thronum  
 Minores, & maximi,  
 Et in vitam sempiternam,  
 Pœnam jùnt vèl æternam  
 Primi, & novissimi.

Ensis, fulmen reprobandos,  
 Sed Oliva præmiandos  
 Designat in gloriâ;  
 Hæc sunt tibi meditanda,  
 Et in corde ruminanda  
 Frequenti memoriâ.



## Meditatio inferni.



Quod hic altè specularis,  
Vèl profundè demiraris  
Sùb inferni schemate,  
Umbram credas, vèl figuram,  
Te videre, seù licuram  
Solò sub Ænigmatè.

Nàm dolores Barathrales  
Quantisinc. & quor, & quales,  
Est indemonstrabile;  
Quid sit damni Cruciatas,  
Damnatorum ululatus,  
Est impenetrabile.

Sed Æternùm hoc horrendù,  
Nullis ævis finiendum  
Super hæc rememora,  
Nàm hæc mente ponderata,  
Et perpècè cogitata,  
Sunt peccati remora.



## Meditatio Paradisi.



Nullus umquàm intellexit,  
Nec audivit, aut aspexit,  
Sed nec corde credidit,  
Quanta Deus perdilectis,  
Cui tempèr & affectus  
In cælo recondidit.

Læti palmis, & coronis,  
Hic gaudebunt mûæ sonis  
Cunctorum concentuum;  
Ludent Chely, lyrâ, chordis  
Consonantis sempèr cordis  
Cùm choris Cælituum.

Hic videbunt, & amabunt  
Deum nostrum, & laudabunt  
Pèr æterna sæcula;  
Felix, qui pèr viam crucis,  
Sempiternæ tandèm lucis  
Intrat Tabernacula.

## Voluntas accensa.



Intellectus meditando  
 Dùm ascendit, ut volando,  
 Ad Dei notitiam,  
 Parè passu, vèl mensurâ,  
 Suâ movet ex natura  
 Amantem potentiam.

Sed tunc cesset intellectus,  
 Voluntatis dùm affectus  
 Cæpit exardescere;  
 Nam peroptat mens instantèr  
 Non tam Scire, quàm flagran-  
 In amore cretete.

Hæc voluntas cùm jam tota  
 Est accensa, seu commota,  
 Aquâ non offenditur;  
 Sed doloris fonte gratô,  
 Ex amoris flammâ natô,  
 Multò plus succenditur.

## Gratiarum Actio.



Mens internâ motione,  
 Et supernâ notione  
 Illustrata funditùs,  
 Se devinctam Dei donis  
 Recognoscit, & his bonis,  
 Quæ recepit cælitùs.

Hinc pro cunctis antea actis  
 Jesu Christi benefactis  
 Miræ multitudinis,  
 Totò corde dilatò  
 Incalescit ex innatò  
 Æstu gratitudinis.

Et ut cor sit plenè gratum,  
 Oprat suum sociatum  
 Infinitis cordibus;  
 Ut cum suo totè unitis,  
 Repleatur infinitis  
 Grati cordis laudibus.

## Oblatio.



Qui se novit debitorem  
Ergà Deum Creatorem,  
Grates vult rependere;  
Sed non valens per effectus,  
Totus transit in affectus,  
Ut has possit reddere.

Undè Deo vivo, vero  
Offert corde persincèro  
Ad solvenda debita,  
Jesu Christi morientis,  
Et Mariæ condolentis  
Infinita merita.

Offert secum, quod beatum  
Fuit, est & erit gratum  
Suprà, vèl sub nubibus,  
Prò commissis jam peccatis,  
Prò acceptis, & speratis  
A Deò muneribus.

## Petitio.



Omnis orans tunc perorat,  
 Deum ipsum & honorat,  
 Dum scit grata petere;  
 Bene prius sed reflectat,  
 Quis, à quò, vel quid expectat  
 Ut possit accipere.

Nam qui petit, exaudiri  
 Non meretur, nec potiri,  
 Hinc petat humiliter,  
 A quò petit, est Deorum,  
 Deus, & Rex seculorum,  
 Ut petat serviliter.

Dei laudem, & honorem,  
 Christi petat & favorem,  
 Sed fiducialiter.  
 Et tunc viva fides dabit  
 Cuncta, quæ sic postulabit,  
 Si petat stabiliter.



QUINTA PARS,  
Oratio Supernaturalis.




**Hæc est cibus perfectorum, Nihil amant extrâ Deum,**  
**Quò selectæ viatorum? Solum ipsum propter eum,**  
Solidantur animæ; Sui non intuitu;  
Quorum corda dum suspirant, Orbi carnis servitute,  
Præter flammam nil exspirant Sempèr agunt in virtute,  
Charitatis intimæ, Et Eliæ spiritû.

Hinc non solum est mentalis,  
Sed & supernaturalis  
Horum est oratio;  
Quæ non illam est volentis,  
Sed quæ Dei miserationis  
Est mera donatio.



## Oratio Recollectionis.



Recollectus ad interna ,  
 Non attendit ad externa ,  
 Neque visibilia ;  
 Nam est totus introversus ,  
 Prorsus & ab his aversus ,  
 Quæ sunt sensibilia .

Fatigatur intellectus  
 Jesus nobis cum dilectus  
 Extrà nos inquitur ;  
 Solâ vivâ fide duce ,  
 Clariori semper luce  
 Intrâ nos inspicitur .

Sic se foris occultente ,  
 Intus orat Deum mente ,  
 Qui seipsum colligit ;  
 Sed à Deo recollectus ,  
 Suprà semet est evertus ,  
 Et se tunc non dirigit .

## Contemplatio.



Contemplatur quis divina ,  
 Nōn humanā disciplinā ,  
 Sed ex vi notitiæ ,  
 Quam serenat sacri flamen ,  
 Cordis aufert dūm velamen ,  
 Donō sapientiæ .

Hæc cælestis est fulgoris ,  
 Æstuantis & amoris  
 Divina sciencia ,  
 Nām illustrat intellectum ,  
 Sed inflammat & affectum  
 Plus experientia .

Hocce donō nōn fruentes ,  
 Erunt Sancti , connitentes  
 Cūm divinā gratiā ,  
 Martha nōn contemplabatur  
 Sancta tamē celebratur ,  
 Ut dicit Theresia .

## Oratio Quietis.




Quam amantè delitescit,  
 Et securè requiescit,  
 In hoc sinu anima;  
 Nescit undè delectatur,  
 Tota tamèn satiatur,  
 Voluptate maximâ.

Gustus hic tranquillitatis  
 Inest centro voluntatis,  
 Quæ ligata dicitur,  
 Vires tamèn nocitivæ  
 Sunt solutæ, non captivæ,  
 Quod fati discernitur.

Sibi nomen hic divinum  
 Mirè modò tam vicinum  
 Intellectu comperit,  
 Quod ad ejus unionem,  
 Për conatus autionem,  
 Pervenire poterit.

## Oratio Unionis.



Ex amore inflammato,  
 Flammas & reciprocato  
 Grata surgit unio,  
 Quæ non semper est totalis,  
 Datur quippè partialis  
 Cùm Deo communio.

Nam voluntas sepe tota  
 In amoris hujus scholâ  
 Unita percipitur :  
 Sed dùm vis, quæ contempla-  
 Adest, & quæ memoratur,  
 Unio perficitur.

Tunc voluntas plùs amando  
 Gaudet Deo, quàm spectando  
 Intellectus mystica,  
 Et est vis memorativa,  
 Ex virtute fruitivâ,  
 In Deo pacifica.

## Raptus.



Mens jam Deo suo plena,  
 Et à semet aliena  
 Ad superna trahitur,  
 Et affectu violento  
 Sublevata in momento,  
 Ad divina rapitur.

Luce, tactu, sive flammâ  
 Sic abstracta mens vi Summâ  
 juxta murum Domini;  
 Audit verba clandestina,  
 Solâ luce quæ divinâ  
 Innotescunt homini.

Raptus hic in voluntate  
 Numquam fit, nam voluptate  
 Hæc ad bonum trahitur;  
 Sed vis omnis noscitur,  
 Motione non nativâ,  
 Verum raptum patitur.



## Volatus Spiritus.



A Theresâ declaratur,  
 Quod volatus hic vocatur  
 Raptus in substantiâ,  
 Sed in modò concitatò,  
 Pèr volatum indicatò,  
 Infit differentia.

Fit dùm motu repentinò,  
 Nòn humarò, sed divinò,  
 Tota mens corripitur,  
 Et ut globus è tormentò,  
 Sic volatu violentò,  
 Ad Deum abripitur.

Menti Deo tunc adstanti  
 Revelantur in instanti  
 Divina magnalia,  
 Quæ tunc prius intellexit,  
 Nam tòr anrè non perspexit  
 Supernaturalia.

## Ebrietas Spiritus.




Inflammarum cor amore,  
 Totum fervens ex ardore,  
 Plus justò distenditur,  
 Hinc dum amor invalescit,  
 Et hic ardor sic accrescit,  
 Temulentum dicitur.

Et ut in ebrietate,  
 Vinum præ nimietate  
 Frequentèr evomitur;  
 Temulentus sic amore,  
 Voluptatis præ sapore  
 Jubilare cogitur.

Est hoc donum singulare,  
 Quò se Christo immolare,  
 Ardet hæc satietas;  
 Æstu nam ferventiori,  
 Sempèr vult in cruce mori  
 Mentis hæc Ebrietas.

## Impetus Spiritus.



**Felix** pectus, quod amoris  
 Incremento sanctioris  
 Ferendo non sufficit,  
 Sola placet medicina  
 Clara, simplex, & divina,  
 Sed hæc adhuc deficit.

Hinc affectus inflammati,  
 Et æffulus incitati  
 Solent cor imperere,  
 Quia Deum tam amatum,  
 Et tot votis exoptatum  
 Nondum licet cernere.

Ardet siti, sed hanc amat,  
 Solam sitis hæc inlamar  
 Amati præsentiam,  
 Qui dum ad huc delitescit,  
 Sitis semper plus increfcit  
 Per ejus absentiam.

## Penetratio Divina.




Mens à Deo penetratur,  
 Ad interna dum vocatur,  
 Ut dilectum audiat,  
 Fit hoc intus leni sonò,  
 Vèl acutiori tonò,  
 Ut hunc coram sentiat.

Est impulsus delicatus,  
 Quo se menti tunc amatus  
 Præsentem insinuat,  
 Ut hæc tantum ad favorem,  
 Cor illius in amorem  
 Plus urgere statuat.

Deum juxta se sentire,  
 Nèc videre, sed audire,  
 De quo mens non ambigit,  
 Est subtilis valde pæna,  
 Sed conditò melle plena,  
 Quam idcirco diligit.

## Odores Cælestes.



Alter modus excitandi,  
 Et se menti declarandi,  
 Summò cum deliciò,  
 Pèr odores est cælestes,  
 Tunc præsentis Dei testes  
 Statim ab initiò.

Odor rosæ speciosæ,  
 Nòn est hic natura rosæ,  
 Sed rosæ nutritia,  
 Sic odores hi selecti,  
 Nòn sunt Deus, sed dilecti  
 Præsentis iudicia.

Illis Deum plùs cognoscit,  
 Et amplecti mens exposcit  
 Dilectum ardentius,  
 Sunt jam tamèn ejus vota,  
 Nòn pænosa, quamvis tota  
 Amet hic intentius.



## Vulneratio Divina.




Est sagitta hæc amoris,  
 Amoreli & doloris,  
 Cordi dùm intigitur,  
 Quâ voluntas non uatidò,  
 Sed affectu impulsivò  
 se se supergreditur,

Dùm Theresam sagittabat,  
 Et cor ejus vulnerabat  
 Seraphinus spiritus,  
 Ex amore faucibus,  
 Et dolore se credebat  
 Interire penitus,

Non est dolor corporalis,  
 Sed irè valdè spiritalis  
 Affectum transverberat;  
 Est acerbus, & acutus,  
 Sed quòd melle fit imbutus,  
 Illum cor desiderat,

## Languor Animæ.



Habet amor velût artus ,  
 Nam producit multos partus  
 Minâ cum potentia ;  
 Sed est foetus principalis  
 (Hic interdum est lethalis)  
 Languoris præsentia.

Fit dum mens jam sauciata ,  
 Et amore dilatata  
 Oïlecto non fruïtur ,  
 Nam tunc corde contabescit,  
 Et dum feruor invalescit  
 Languore consumitur.

Est affectus persuavis ,  
 Sed naturæ nimis gravis ;  
 Hinc faustâ memoriâ :  
 Causa Mariannæ mortis,  
 Paris & Theresæ fortis  
 Fuit in historiâ.

## Tribulationes.



Pōst favores tōt divinos,  
 Et ardores seraphinos,  
 Nil miram quod Anima  
 Deō frui concupiscat  
 Et ad hunc tota dehiscat  
 Siti cordis intimā.

Sed ad hoc nōn pervenitur,  
 Nisi postquām aperitur  
 Amoris sinceritas;  
 In hunc finem tribulatur,  
 Veldit aurum & probatur  
 Dilectæ fidelitas.

Movent plures tūc mortales,  
 Et liqores infernales  
 Tempestatas horridas;  
 Sed pressuras, & dolores,  
 Omnes vincit & angores  
 Për virtutes solidas.

## Visiones.



Cum dilectam tribularam,  
 Et jam satis exploratam,  
 Deus fidam iudicat;  
 Tunc qui prius latecebat,  
 Colluctantem sed videbat,  
 Rursùm hanc lætificat.

Adfunt cæli visiones,  
 Quæ divinæ sunt icones,  
 Vel imaginariæ;  
 Quibus menti Deus adstat,  
 Et secreta manifestat  
 Trinitatis Curiaë.

Sic supernis his figuris,  
 Edocetur de futuris,  
 Dùm cælesti lumine  
 Intellectus contemplatur,  
 Et voluntas inflammatur,  
 Velut ignis flamine.

## Locutiones divinæ,




**N**on per solas visiones  
**S**ed divinos & sermones  
 Invis mens instruitur,  
 Quando verbis auri datis,  
 Vél incernè susurratis  
 Deus hanc alloquitur.

**H**æc vocantur successiva,  
 Vél in eandem substantiva,  
 Quandoquè formalis,  
 Sunt ex mentis fundò nata,  
 Summâ parte vél prolata,  
 Sed non sunt æqualia.

**S**ola verba substantiva  
 Vehementèr sunt activa,  
 Nam virtutè maximâ nant,  
 Hoc producûr, quod tunc so-  
 In momentò lucem donant,  
 Et pacem in animâ.



## Tentationes.



Quæ præcendit desponsari,  
 Põit amore conjugari,  
 Deò cum Altissimò,  
 Priùs adhuc expurgatur,  
 Undecumqde dum tentatur  
 Infultu gravissimò.

Contrà fidem, castitatem,  
 Spem, & Dei bonitatem  
 Suprà modum quatitur;  
 Imò dirè verberata,  
 A malignis & luxata  
 Intùs, foris premitur.

Sic descendit ad inferna,  
 Ascensura mòx superna,  
 Ut dilecto placeat;  
 Sic dilecta præparatur,  
 Tota, quanta cum mundatur  
 Ut & tora niteat.

B b

## Desponsatio Spiritualis.



Dùm in mundò facultates,  
Et pèr cordis voluntates,  
Cuncta sunt æqualia;  
Tunc sponsandi se spectando  
Sibi manus, fidem dando,  
Contrahunt sponsalia.

Sic dilecta Deo grata,  
Ut sit coràm informatà  
De dilecti dotibus,  
Pèr transemmam hic apparet,  
Et hæc statim tota patet  
Sponsi sui nutibus,

Pèr hanc autèm visionem  
Facta jam ad sponzionem  
Deò suò dignior,  
Cum dilectò desponsatur,  
Amor & recipiatur  
Sponsæ jam diviniòr.

## Matrimonium Spirituale



Sponsa tandem est vocata,  
Et amatèr invitata  
Ad Sacrum connubium;  
Arrha sponsi sponsæ datur,  
Intèr ipsos celebratur  
Divinum conjugium.

Hic amores uniantur,  
Et ad dores sopiuntur,  
Dùm in cenitò animæ  
Se jam Deus manifestat,  
Et præ gustum cæli præstat  
Sponsæ dilectissimæ.

Pèr hanc sanctam unionem,  
Et amoris unctionem  
Fiunt unus spiritus,  
Et est sponsus sponsæ vita,  
Sponsa nam est insignita  
Sponsi formâ penitus.

## Ingressus in Divinam Caliginem.



Fælix ad hunc sponsa statum  
Jâm evecta tēr beatum,  
Vivit in caligine,  
A figuris denudatur,  
Et ut solis offuscatur  
Perstringente lumine.

Quid sit Deus, intellectus  
Totus Deo circumtectus,  
Nescit mirabiliter ;  
Sed sic Deum ignorare,  
Est hoc Deum perustrare,  
Et scire sublimi er.

Est caligo perlucescens,  
Sed præ luce tenebrensens,  
In quâ Deum anima  
Plus accedit diligendo, (do,  
Quâm hunc mente cognoscē-  
Pace cordis intamâ.